

licis recordationis Dominus Lodovicus Rex, Pater Noster charissimus, Ipsi hanc gratie prerogativam Litteris suis mediantibus, quarum tenorem coram Nobis spectatenus produxerant, fecisset specialem, ut nullus omnino Hominum ipsos in Curiam Nostram, vel in aliquorum aliorum Judicum extraneorum, ex ista parte fluvii Drave existentium, presentiam citare, seu evocare, aut in causam atrahere valeret neque posset modo aliquali; sed si qui cum eisdem quicunque actionis vel questionis haberent, id in presentia Bani ipsius Regni Nostri Sclavonie, vel vices eius gerentis, legitime exequi deberent; et si in Judicio ipsius Bani, vel vices eius gerentis, aliquis querulantium suspicatus foret, nec contentus esse vellet, extunc seriem Judicii per ipsum Banum, vel vices ejus gerentem, in Nostram, ac Prelatorum et Baronum Nostrorum presentiam, in Curiam Nostram pro deliberatione fienda transducere valeret atque posset super Judicio prenotato. Nunc autem ipsa libertate obmissa quamplures ex eisdem Nobilibus, immo fere omnes per extraneorum Capitulorum citationes, et evocationes, ac in Causam atractiones, et non per comprovincialium, clandestine, et furtive, ac nequitiose unus alium ad Curiam Nostram, et alias citare, evocare, in causam atrahere, et per terminorum completiones aggravare, ac pnt . . . e sepe sepius procurarent, in quo facto multe ammissiones Possessionum, ac alia diversa genera malorum et gravaminum multoties orirentur, et evenirent, dictumque Regnum Nostrum Sclavonie per hoc maxime foret gravatum: Supplices Nostro Regio culmini prece humili et devota, ut eisdem super premissis de Regia benignitate dignaremur succurrere, et providere de remedio opportuno. Nos itaque supplicationibus eorundem Nobilium moti, benevole inclinati, nolentesque ipsos gravamina pati, hujusmodi dictam constitutionem et libertatem ipsis per dictum Dominum Lodovicum Regem datam et concessam, ratam et gratam habendo, una cum Prelatis et Baronibus Nostris matura deliberatione prehabita, sane decrevimus, ut nullus prorsus Hominum, seu Nobilium dicti Regni Sclavonie, alter alterum, nec aliquis alius Regnicolarum Nostrorum ipsos Nobiles Regni Nostri prescripti per extranea Capitula, nisi solum per Comprovincialia citare, evocare, aut in Causam atrahere in Nostram, aut in cujuscunque Regni Nostri Judicis presentiam, nec obmissa ipsa libertate in Curia Nostra aliquam litem suscitare, nisi prius in presentia Regni Nostri Bani predicti fuerit suscitata, possit nec valeat modo aliquali; in Casu autem, quo hujusmodi facta temporis in processu evenirent, et si que pars adversa hoc ipsum contra aliam partem efficaciter comprobare posset, extunc hujusmodi facta, seu quevis gravamina, que in premissis evenirent, nullius existant vigoris nec momenti, sed prorsus mortua et viribus caritura habeantur. Quocirca vobis viris Magnificis, Dominis Palatino et Judici Curie Nostre, vestrasque vices in Judicatu gerentibus, et generaliter cunctis Regni Nostri Judicibus, et Justitiariis, Ecclesiasticis videlicet et secularibus, presentibus et futuris, firmiter precipiendo mandamus, quatenus quantumcumque et quotiescunque premissa facta coram vobis emergerint seu evenerint, et modo prehabito approbata fuerint, eadem autoritate Nostra Regia cassare, revocare, annullare, mortificare, et prorsus annihilare debeatis, quibus et Nos derogamus praesentium Litterarum Nostrarum patrocinio mediante, quas, dum Nobis in specie fuerint reportate, in formam Nostri Privilegii redigi faciemus. Datum Bude Secundo die Festi Penthecostes Anno Domini Millesimo trecentesimo nonagesimo quinto. Nos itaque iustis et Juri consonis supplicationibus annotati Magistri Pauli, nobis